

Illa domus , plenis doctrinæ copia rivis
 Unde omnes omnis didita per populos ;
Eloquio posset qui te , Catilina , minaci
 Præcipitemi e patriis moenibus ejicere ,
Fulmineo posset solus qui obstare Philippo ,
 Vimque animi fractis civibus indomitam
Barbaricas contra voce inflammare phalanges ,
 Pro patria ut vellent fortiter urbe mori .
Testis eris , V... meis tu , maxime , dictis ,
 Quem (pace hoc liceat dicere , amice , tua ;
 Nec tuus iste pudor vatem deterreat , hæc ne
 Condita sensa animi candidus evoluat)
Quem Divi ut primum annuerunt mi audire loquentem ,
 Continuo toto pectori deciderunt
Quotquot erant Grajæ , Romanæ aut lumina linguae ;
 Sic mihi me totum protinus abripuit ,
Abduxitque trahens , & se defixit in una
 Ista tui vis una , unica & eloquii .
Proh superi ! ille sibi miro ut me junxit amore ,
 Reddidit ac fanti morigerum , & docilem !
Ut dia clarus jactabat fulgura lucis ,
 Omnia dum pulchre dispiceret ratio !
Ut penita omnigeno miscens præcordia motu
 Flectebat mentem qualibet omnivolam
Fræna tenens , ductansque , trahensque , & blandus , & idem
 Interdum sævus , trux , ferus , horribilis !
Quippe animum lætus modo spe mulcebat , ovanti
 Vultum hilarans , ima & pectora lætitia ;
Cuncta metu interdum horrifico , moestoque pavore
 Miscebatur : facie pallor in adtonita ,
Albus erat turbæ miranti , corda micabant ,
 Ibant perque genas , perque sinum lacrimæ ,
Talis præsenti subnixus numine Paulus
 Concussit Lystram voce Lycaoniam